# DE MUNDI ORIGINE

## VETUS EPICURI SENTENTIA

LATINIS VERSIBUS EXPRESSA,
ET REFUTATA.



NEAPOLI CIϽIϽCCCXXV.
APUD DOMINICUM SANGIACOMO.

*Publica Auctoritate.*

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

EXCELLENTISSIMO VIRO
MARCHIONI

# DONATO THOMASIO

## FRANCISCI REGIS A SECRETIS

ATQUE A SANCTIORIBUS

JUSTITIAE, CLEMENTIAE, REIQUE ECCLESIASTICAE CONSILIIS

EMIDIUS CAPPELLIUS

*S. P. D.*

Jam inde ab ipsis Litterarum incunabulis solemnis sane mos obtinuit, ut suas quisque lucubrationes prorsa, versave oratione conscriptas perillustri alicui viro inscriberet, dedicaretque. Quod mihi rem attentius interdum reputanti duplici sane de causa factitatum videri solet. Aut enim auctores id in animum induxerunt, ut suis operibus praeclari alicujus viri tutelae concreditis satis praesidj, ac firmitatis pararent, aut ut aliquam bene de se merentibus gratiam, qualiscumque ea demum esset, referrent. Ad me vero quod spectat, quam utraque justa sit causa, Tu-

te ipse vides. Primum enim mihi tum ab ingenio, tum ab aetate quam maxime imparato strenuo aliquo, ac locuplete patrono opus erat, cujus sub nomine huic meae scriptiunculae auspicato in lucem prodire liceret. Is autem qui foret, nisi Tu esses, non videbam. Tanta enim in Te sunt litterarum omnium ornamenta, tantusque non modo earum, sed omnium etiam, qui vel parvam iis operam dederint, amor; ut Te optimum hujus saeculi Maecenatem jure, meritoque praedicent universi. Quid vero quod Marchionem Horatium Cappellium patruum meum de Te saepenumero audio narrantem, atque ingenii Tui praestantiam, animumque litteris mirandum in modum expolitum alternis pene verbis summopere collaudantem? Deinde cum tot, et tanta in me, meosque cunctos extiterint indicia amoris, ac benevolentiae Tuae, vix possis credere quanto jamdiu amore flagrabam meam in Te observantiam, gratique animi sensum significandi. Neque vero oblitum me esse putes, Te anno proximo superiore, cum meum patruum domi convenisses, praecipuo me ipsum honore cumulatum voluisse: tum enim inter ceteras benignitatis Tuae significationes, ut Tibi aliquot ex meis versiculis recitarem humanissime instare caepisti, ac recitantem adeo benevolo, libentique animo audisti, ut tantam humanitatem, tantam morum suavitatem, tantam denique in summa dignitate comitatem satis

admirari minime potuerim. Itaque cum hujus rei memoria nunquam postea excidisset, vix opusculum hoc absolveram, vix manum de tabula, cum nihil potius habui, quam ut hic liber Tuo nomine superbiens ad Te protinus advolaret. Hunc Tu rudem, atque incomptum agnosces, fateor; sed tamen non dubito, quin, quae Tua prudentia est,

« Propter egestatem linguae, et rerum novitatem,

Ut habet ille, plurima libens ignoscas. Quid enim? an quod Lucretium ipsum terruit, id me minime terreat? At quantus ille Poeta, et quam doctus! Verum ut ut ista se habeant, quamquam in hoc munere granditas, et venustas deest, animus certe non deest: nec Te illud pro Tua humanitate libenter excepturum non confido. Vale, Vir Excellentissime, Teque litterarum, ac reipublicae universae bono serva quam diutissime.

Dat. Neapoli III Kal. Sectembres CIƆIƆCCCXXV.

*Ornatissimo Signore*

*Dopo il Polignac parea, che l'elegante Cantore dei delirii di Epicuro non avesse a temere di essere combattuto da nuovo emulo. Ma Ella ha impugnate le stesse armi, e con egual valore ha distrutto quelle greche fole infelicemente troppo ripetute dai moderni : con che ha meritato della civil società, e di quella generosa filosofia, cui sorride dai cieli la Religione santa de' padri nostri. Nè le Muse latine, ospiti amorose della sua famiglia, le deono meno per l' aurea venustà, che spira nei versi, coi quali Ella celebra gli arcani della Creazione. Io accetto la dedicatoria di questo suo nobil lavoro : e mi è grato dare così pubblica testimonianza dell' alta stima, e dell' antica amicizia, che mi legano all' Eccellentissimo signor Marchese Cappelli suo Zio, e della considerazione distinta, con la quale sono*

*Di Napoli 27 Agosto 1825.*

*Suo Div.*mo *Obb.*mo *Servit.*
*Il Marchese Tommasi.*

*S. E. sig. D. Emiddio Cappelli*
*Napoli*

# DE MUNDI ORIGINE

Aeternas Atomos canimus, primordia Mundi,
Grajugenae quae falsa viri sapientia quondam
Protulit, et patriis docuit praepostera in hortis;
Et quae Cecropiis male fontibus hausta canoro
Carmine per Latias cecinit Lucretius urbes,
Ingenio, doctaque potens Lucretius arte;
Pieridum primus felicibus avia coeptis
Lustrare, atque novas ausus decerpere lauros;
Naturae arcanos dum tentat adire recessus,
Et Latias Sophiae duxisse ad templa Camaenas.
At quis te; dictis, studioque ignosce fideli,
Dum nitidum affectas sublimibus aethera pennis,
Quis, te parce precor, Vatum decus, optime Vates,
Errores late in varios, caecasque tenebras
Praecipitem mersit? quis te malus abstulit ardor?
Usque adeo humanae caligant undique mentes!
Quemque suus manet usque furor: sed protinus audax
Persequar inceptos, sedet haec sententia, cursus.
Impia nempe sedet, fallaci qualia nunquam
Limine de prima surgentis origine Mundi
Ad superas misere plagas insomnia manes
Extirpare animis, verasque ostendere causas,
Veraque cunctarum primordia pandere rerum.

Scilicet egregius labor hic ; modo prospera nostris ,
Mens , faveas coeptis , summi mens inclyta Patris.
Huc ades , o hominum , Divumque aeterna voluptas ,
Causaque , et omnigenum requies pulcherrima rerum.
Tu vatem , tu Dia , mone : sociamque , ducemque
Unam hic carminibus nam te decet esse canendis.
Nil sine te nostrae poterunt audere Camaenae ,
Te sine nil magnum mens incohat : en age , vastas
Horrenti pelagique minas , mergique timenti
Da faciles cursus , da fausta findere fluctus
Alite , da tuta portum tetigisse carina.
Principio , quoniam quem mentis devius error
Impulit a vera longe ratione vagari
Nil unquam ex nihilo in lucem prodire putavit
Posse , nec ad nihilum vel longa aetate reverti ;
Aeternas causas , aeterna exordia cunctis
Rebus , et esse omni duo tantum semina Mundo
Tradidit ; immensum nam finxit Inane , nec ullo
Limite vallatum ; sed quod sine fine per oras
Panderet immensas immenso brachia tractu ;
Prima ubi totius genitalia materiaï
Corpora continuo volitarent percita motu.
Nam nisi per Vacuum nulla ratione moveri ,
Nec cessisse loco ; veteri aut statione relicta ,
In varias possent transferri corpora sedes.
Omnia cum cunctis premerentur ubique repletis ;
Obstaretque aliis aliud , nec limite posset
Cedere , nec vacuam venienti linquere sedem
Unde soporifero totam squalere veterno
Naturam , atque situ torpescere cuncta videres.

Primum ergo aeternum, si Epicuro credis, Inane,
Immensumque patens in cunctas undique partes,
Materiemque suis cingens amplexibus extat.
Quin etiam in cunctis permixtum rebus Inane
Esse ait, in liquidis quod nedum cernere lymphis,
Ast etiam in solidis liceat cognoscere rebus;
Nec res ulla foret, vario quod pondere praestent
Corpora corporibus, nihilo majore figura,
Materies arcto si jungeret omnia nexu.
Praeterea numero innumero corpuscula quaedam
Exigua, at solida pollentia simplicitate
Coeca per immensum volitare docebat Inane,
Quae quoniam haud frangi possent, scindique secando,
Ipse Atomos voluit Grajo de nomine dictas,
Hae dum per purum tenues ferrentur Inane
Ponderibus propriis, nullo impellente, volutae
Fortuito inter se concursu conciliatae
Tum primum sensim per mutua foedera jungi
Coepere, et rerum paullatim sumere formas.
Tum mare, tum tellus, tum coeli lucida templa
Omnia conciliis exorta recentibus almam
Hauserunt primum lucem; tum tempore certo
Agnovere suos labentia saecula cursus.

Nec quibus ille modis docuit genitalia ferri
Semina praeteream; qua vi concreta coire
Materies posset, certisque in corpora vinclis
Discidiis positis Atomi coalescere quirent.
Nam quae per Vacuum obliquo tantum agmine ferri
Democritus dixit, geminos ille insuper addit
Seminibus motus; cum quaedam tendere recto

Tramite, cum recto quaedam deflectere cursu
Gauderent: hinc assidue conflicta viarum
Per diversa, simul tenues collisa per auras
Accipere, atque graves alternis reddere plagas
Frontibus adversis, nec pugna absistere, donec
Inter se tandem, posito certamine, jungi
Coeperunt, pactamque fidem, dextrasque dederunt.
Ac primum crebro extiterunt quae corpora ab ictu
Partim conciliis rerum rejecta, nec usquam
Consociata simul, magnum per Inanè vagari
Coepere, aeternoque velut certamine fictas
Edere turmatim pugnas, prout cernere fas est,
Sole per insertam radios mittente fenestram,
Multa minuta modis multis cum corpora passim
Pervolitant, tranantque vago spatia omnia cursu.
Partim intervallis magnis conjuncta vicissim,
At conjuncta tamen laxas sensere catenas,
Ac lucem nobis dederunt, atque aëra rarum,
Exiguo partim spatio, et propiore revincta
Concilio stabili venere in foedera nexu.
Hinc sua materies primordia sumpsit, et ipsa
Ire per immensi flammantia moenia Mundi
Sidera coeperunt, densoque hinc aëre tellus
Circumfusa suo librata pependit in axe.
Hinc etiam Titan medio sublimis Olympo
Constitit, et rutilo nascentem lumine Mundum
Collustrans, late longas sua jura per oras
Extendit, cursusque regens, viresque ministrans
Circum se fixo jussit per inania calle
Sidereos certis decurrere legibus Orbes

Hac igitur totam dixit ratione coortam
Naturam, hae etiam concordi pace manere
Immotam, donec finito tempore, sese
Vertat in antiquam casu revoluta figuram,
Quoque modo conjuncta, iterum disjuncta recedat.

Nec tamen omnimodis potuit concordia gigni,
Neve Atomis aeterna quies data; namque vagari
Humana assidue rapido sub pectora motu
Haud cessant, cuntis hinc corda soluta catenis
Nostra manent, hinc libertas exorta volendi.

Nec paria omnino cunctarum exordia rerum
Esse, nec assimilem faciem, formamque referre
Singula credideris, multis variata figuris
Cum facie inter se distarent plurima longe.
Non quod pauca forent aequali praedita forma,
Quodque haec quadratam praeferrent, illa rotundam,
Aut teretem mixtim faciem, sed quod generatim
Principiorum quodque genus sua forma maneret
Quandoquidem haud unum cunctis genus esse volebat
Seminibus, speciemque unam comprendere; verum
Ordine quaeque suo per certas didita classes,
Mensuram ast omnes, numerumque excedere classes.

Illud. in his rebus merito ne forte requiras,
Quae Divum extiterit genito super Orbe volnntas,
Quae pars, in rebus fuerit quae cura gerendis
Coelicolum; hos etenim certa in statione locatos,
Corporis expertes, nullo turbante labore,
Curarum haud ulla, rerum ulla haud mole gravatos
Nil operae humanis, studiique impendere rebus;
Omnium at immemores, nostris queis quippe vacare

Sorderet nugis, per desidis otia vitae
Oevum agere aeternum, doctrinae idem ille repostae
Monstrator tumido, fidentique ore profatur.
Ulla quasi aeternam Divum turbare quietem
Cura queat, pariterque illos vexare, caducum
Qui genus humanum vexant, franguntque labores.
Scilicet ille Deos non ausus pellere Athenis;
Namque Anyti nex dura rei terrebat, et atrum
Protagorae exilium, populique ante ora frequentis
Inculpata patrum combusta volumina jussu.
Ergo imbecilles Dominos, longeque remotos
A curis toto praefecit callidus Orbi;
Quosque Deos verbis statuit, re sustulit ipsa.
Nam supera humanis nisi Numina rebus adesse,
Et regere imperio populos, et provida rerum
Consilia exercere, scelusque in saecula sævis
Plectere suppliciis, aeternaque praemia laudi
Servare, et Mundi moderari sceptra putentur,
Vix equidem Divos, vix numina compellari
Posse putem, at vacuas potius sine viribus umbras,
Nec superesse aliud, nisi nomina vana videntur.
Praecipue cum hîc ipse suis rationibus obstet,
Immemor et propriis jactet pugnantia dictis.
Nam si nil aliud contendit, praeter Inane,
Atque Atomos praeter existere posse, nec usquam
Ex alienigenis quidquam constare elementis,
Unde nova haec unquam fluxit natura Deorum?
Ex Atomis? ergo non immortalis; at ille
Artubus haud ullis, haud ullo corpore Divos
Asserit implicitos: ergo fateatur inanes,

Ac vacuos voluisse Deos Epicurus oportet.
Tene adeo insanae scelerosa audacia mentis
Traxit, ut imperium, formidatumque Deorum
Excuteres cervice jugum, penitusque tremendum
Aeternae noctis posses abolere timorem?
Tene miser, tanto rapuit vesana furore
Per vetitum passim ire nefas impune, viamque
Introgredi sceleris cupiens effraena libido?
Quone, Epicure, ruis? Superis bella, impia bella
Moliris, summumque poli detrudere ab alta
Arce Giganteo meditaris more Tonantem?
Tune voluptati dum mollia fraena relaxas,
Ardua inops animi Domino, rapuisse supremo
Fulmina deproperas? Tun dextra, insane, potenti
Queis mare, queis terras, queis sidera flectit habenis
Extorquere paras? nec te, nec respicis ecquod
Exitium post terga manet, lacrymosaque fata?
Sic est: mole sua ruit expers consilii vis.
Testis telluris juvenum manus edita duris
Visceribus superas aggressa immanibus ausis
Expugnare arces, et quo foret aptior armis,
Commodiorque locus juvenilibus ausa lacertis
Incassum celsos struxisse ad sidera montes.
At dum dira cohors odiis incensa nefandis
Perfurit, exiliumque Diis, cladem que minatur,
Arduaque indomitis cervicibus astra lacessit.
Protinus irato densa inter nubila vultu
Jupiter horrisona jaculatus fulmina dextra
Ingenti frustra minitantes bella fragore
Terruit horrendus. tum concidit ocyus ardor,

Tum subito turbati animi, trepidantiaque haurit
Corda pavor, legioque atras de pectore flammas
Expirans celeres ruit exturbata per auras.
Ac ne nulla quidem sceleris monumenta nefandi
Extarent, trifido jaculatum Jupiter igne
Aeternum Aetnaea jussit sub rupe gravari
Enceladi corpus, duroque injecta Typheo
Inarimes magnum testari saxa triumphum.

Sed tamen, his missis, Epicuro insana docenti
Collatoque pede, et ratione instare sagaci
Pergamus porro; Mundique attentius ortus
Quam male Grajus homo statuat, quamque avius erret
Ponderibus ratio usa suis expendere coeptet.

Materiae obscuram penitus; penitusque latentem
Naturam, primosque orsus, et corpora prima
Humanae obnixae nullo non tempore mentes
Sollerti ingenio, vigilique exquirere cura;
Illa tamen ludens scrutantum impervia nisus,
Indocilis torsit doctorum corda virorum,
Et tandem invitos jussit nil scire fateri.
Interea excitas sapientum in praelia turmas
Saepius adversis videas consistere castris,
Et prope collatis pugnam committere signis.
Dum nihil hic penitus contendit Inane, Vacansque,
Natura adversante, loci reperirier usquam
Posse, at materia passim stipata teneri.
Omnia conclamat, penitusque excludit Inane.
Dumque ille haud ullum sine Inani corpus in Orbe,
Passus, et omnigenis statuens in rebus Inane,
Pro vacuo vacuus depugnat, multaque profert

Argumenta fidem propriis facientia dictis,
Quae, procul est adeo, ut valeant evincere verum,
Ut potius nostram valeant ostendere mentem
Materiae haud coecas perrumpere posse latebras.
Sed tamen hos, alio properans, in bella libenter
Ire sinam, et tantum, possint modo, solvere nodum.
Nam mihi qua finxit ratione Epicurus Inane
Scrutandum, siquidem vel cuique licebit, opinor,
Quam secum illius pugnent praecepta, videre.
Nempe infiniti per se natura requirit,
Infinita habeat simul omnia, si qua vel unam
Res infinitam valuit comprendere dotem.
Namque infinita in natura ut nititur illa,
Aeque infinitas quoque dotes esse decebit
Omnes, natura quotquot nituntur eadem.
Ille autem hoc, nullus cui terminus obstet, Inane
Per se infinitum, per se immutabile dixit
Esse, infinitas ergo quoque dixerit illas
Esse potestates, habeat quascumque necesse est,
Queis quoniam cunctis par est pollere, nec unquam
Quod tale est ulla constat vi posse carere.
Plane infinitis cum viribus infinitam
Ille locus mentem vacuus possidat oportet.
Nonne etiam saeclis mortalibus indita mens est?
Nec tamen aeternos, immensos nec tamen esse
Hos patet; aeternum at quod sit nec mente, nec ullis
Viribus instructum torpensque, excorsque manebit?
Quod quoniam constat; quaerenti edissere porro,
Quid Vacuum hoc, Epicure? Deus, Deus ipse profecto est,
Si Deus esse nequit, nihil est, aut corpus id ipsum est,

Esse negas corpus? nihil est. hinc esse creatum,
Hinc quoque finitum Vacuum fatearis oportet.
Verum age, et hinc aliam doctrinae evolvere partem
Aggrediar, juvat egregii praecepta Magistri
Altius inspicere, et rationis ad acre vocare
Judicium, juvat errores aperire lepore
Aonio inspersos, verique induta figuram
Dogmata vana tuis, Lucreti docte, Camaenis;
Impia dum penitus doctrinae elementa secutus,
Corporum uti aeternis genitalia semina saeclis
Irrequieta locis, numeroque carentia certo
Extiterint, et uti magnum per Inane coacta
Dein fuerint, pergis sublimi pandere cantu.
At quid multa moror? memoras quae semina rerum
Composita, aut simplex opus est natura sit ollis,
Tertia cum nullo natura existere pacto
Possit, et his constet cohiberi cuncta duobus.
Porro utcumque velis, minime esse aeterna patebit
Semina, namque suis vel constent partibus, ergo
Composita, ergo principium, causamque requirunt.
Compositi quoniam talis natura reperta est,
Sic illud sit, uti minime non esse repugnet;
Atque ita cum fuerit per sese existere nunquam
Evinces; ast hoc per se existente necesse est
Pendeat ex alio, porro quia pendet ab illo,
Principium quandoque habuisse putetur oportet.
Vel rursus nullas comprendet semina partes
Praedita simplicibus naturis: protinus ergo
In mentem revoces paulo quod diximus ante,
De vacuo nuper cum lis exorta vigeret.

Quippe etenim aeternas Atomos cum dixeris esse,
Omnibus has etiam dixisti dotibus, atque
Viribus instructas; concretaque principiorum
Corpora concursu pollere his omnibus aeque
Par erit; at quare passim infoecunda morari
Corpora, et haec eadem sine vi, sine mente jacere
Cernimus, et tanto miramur septa stupore?
Quid causae est etenim, quod corpora semper eundem,
Quo semel exiterint, cogantur habere tenorem?
Proinde quod immotum est fixum, immotumque manebit,
Coeperit at contra si quidquam forte moveri,
Servabit motum, nec deinde movebitur illud,
Neve hoc a motu desistet, dummodo nulla
Aut illi, aut huic vis missa extrinsecus obstet.
Sive igitur corpus moveatur, sive quiescat,
Ejus semper iners per se natura videtur.
Aspice pacato vel qua secat agmine campos
Vulturnus, tumidas vel qua rapit Aufidus undas,
Plurima saxorum cum vis glomerata fluentes
Propter aquas jacuit; nempe illa immota jacebit
Aeternum, haud alio per se se ausura meare.
Tum si forte, Canis rapidas ut mitiget horas,
Cum grege deveniet pastor, sociumque lacessat
Aut ulmum, aut aliam jactu pertingere metam;
Continuo saxum collectum ex omnibus unum
Assueta intorquet funda, atque obnixus in orbem
Ducit, et usque novas celeri vertigine vires
Suppeditat, donec laxata fertur habena,
Infinditque auras, stridetque volatile saxum.
Atque hoc perpetuo, si nil obstaret eunti,

Aëra per liquidum ferri, ventosque secare
Posset, et extremi vel moenia tangere Mundi;
At circumfusus quia semper motibus aër
Officit, et propria facit ut gravitate ruendo
Decidua ad terram se corpora quaeque volutent.
Propterea, certos postquam transmiserit actum
Vi dextrae tractus, opus est ut decidat, atque
Antiquam repetat, motu cessante, quietem.

Jamne vides ergo quam magno errore traharis,
Quamque parum Graji constent effata Magistri,
Semina dum statuit naturae aeterna? sed esto,
Aspice nunc tecum quam non sim sordidus; esto,
Quid tum? fortuitis Atomorum motibus unquam
Anne putas talem potuisse emergere rerum
Naturam, nascique opus admirabile Mundi?
Scilicet id nulla poterit ratione probari.
Nam vel cuncta pari dicendum est semina motu
Aequatis spatiis, et recto tramite semper
Deferri; at nunquam hoc in se se incurrere pacto,
Neve in concilium genitale coire, suoque
Omnia concursu possent in luminis oras
Proferre; imparibus vel semper motibus acta
Diversis spatiis, ulla sine lege vagari
Huc illuc, caeco quo sors tulit impete, dices.
Verius id nihilo sed dictum perspice; namque
Si parili constant natura singula, sique
Esse suum ex ipso traxerunt semina fonte,
Assidue aequalem motum servare profecto
Omnia debebunt, rectoque insistere calle,
Nec poterunt unquam per sese obliqua meare.

Neve parum mihi jam pergas contendere semper
Declinare Atomos, rectumque relinquere cursum,
Unde simul tangi, jungique per aëra possent.
Quippe eadem semper redeunt incommoda; namque
Aut ita jam rursus totum deflexerit agmen,
Aequali ut semper motu procedat, et aequis
Usque intervallis, nec quidquam restitet unquam,
Corripiatve gradus; at nullo in tempore tali
Convenient pacto, et disjunctim, ut diximus, ibunt
Semina, carceribus missum velut ungula currum
Cum rapit, illa praeit, sequiturque hic pone; sequendo
Sed frustra assidue praeeuntem attingere tentat.
Vel partim recta, partimque obliqua ferentur,
Ut varii poterunt sic saepe exurgere coetus
Tramite currentum obliquo, rectaque meantum.
At mihi pande precor, debes nam pandere, causam,
Unde haec disparitas? unde haec discrimina motus?
Nempe tuis leges Naturae nutibus aptas.
Nam quaecumque pari sunt mobilitate, parique
Praedita natura, pariter, discrimine nullo,
Quippe loco plane in vacuo moveantur oportet.
Quod si etiam tandem concordi pace ligata
Sunt semel in talem conjecta exordia coetum,
Qui fit, uti nunquam rationis ab ordine cedant?
Quodque semel potuit, sibi id omni in tempore constans
Sors peraget? nitidas certis decurrere semper
Tramitibus coget stellas, semperque reducet
Labentem coelo spatiis aequalibus annum?
Vere dabit semper flores, frumenta calore?
Cur nunquam fruges alieno tempore tellus

Fudit, et alma Ceres laeto sociata Lyaeo
Protulit auratam brumali frigore frontem?
Praeterea Mundum variis constare videmus
Partibus, et quaedam vita tantummodo, quaedam
Sensu etiam, atque ipso rationis lumine gaudent.
At qui haec ex Atomis potuerunt omnia gigni?
Nam si omnes vita, et sensu, et ratione carentes
Dixeris esse Atomos; tune unquam, tune profecto
Has credes ipsis quod defuit ante, daturas?
Si vero cunctis et vita, et sensus, et ipsa
Adfuerit ratio; nempe his quoque praedita cunctis
Dotibus ex Atomis exorta haec summa maneret.
Propterea aut omnem bruta undique sparsa repleret
Materies Mundum, aut hominum mortalia solum
Saecula vel toto passim exorerentur in Orbe.
Praeterea latos terrae circumspice tractus,
Quas herbas, laeto quas illa alit ubere plantas!
Quos herbis, plantisque simul dat prodiga foetus!
Quos dives imis penitus, penitusque repostis
Sedibus argenti rivos, aurique metalla
Servat, quam varios cogenda ministrat in usus!
Innumera in primis animantum saecla recense
Quotquot aquas, coelique vias, terramque frequentes
Concelebrant, pecudum genus omne, armenta, ferasque,
Squamigerûmque greges, positasque sub aequore conchas
Innumeras, quod opus! quanta ars elucet in illis!
Aspice et alituum densa agmina pennipotentum,
Quam varia, atque altis quam nubibus apta secandis!
Quis primum in teneras haec omnia protulit auras?
Quis facit ut coëant generatim, et prole recenti

Letiferae quis damna dedit reparare senectae?
Quis vero, cum pulsam hiemem Sol aureus egit,
Mutare admonuit coelum, parvosque penates
Figere sub trabibus, tenerosque educere foetus
Quis docuit Prognem? quo praeceptore, volando
Strymoniae bifido didicerunt agmine nubes
Praeteriisse grues? quis apes finxisse tenaces
Edocuit ceras, et dulcia condere mella?
Denique si tantas per se sors ipsa parare
Res potuit, per se cur nullam condidit urbem?
Cur penitus nunquam imperio stetit edita casus
Porticus ulla, domusve, aut celso culmine templum?
Nimirum quae vi rationis, consiliique
Condita miramur tanta, quaeque ordine tali
Mensuris, numerisque suis digesta tuemur,
Materiae unius confuso conciliatu,
Et caeca casus si quis vi credat oriri
Posse unquam; nihilo, me judice, sanior esset,
Quam si credat item fieri unquam posse, quod artis
Ignarus, pueri vel ludicra dextera telae
Inducens varios obscura nocte colores,
Possit Apelleas casu simulare figuras;
Possit et in tabulam, Vatis quae Aeneida totam
Conficiunt vocum congesta elementa capaci
Projicere ex urna, ut coeant sic omnia casu,
Rite Maroneos possint ut reddere versus,
Dardaniumque Ducem terris noscamus, et alto
Jactatum, errandoque altas Carthaginis arces
Quaerentem, et miserae funus videamus Elisae.
Mox etiam Ausonias post tot discrimina ad oras

Advectum, et totam cernamus ad arma coortam
Hesperiam, saevasque iras, violentaque Turni
Pectora, et Euryali, Nisique asperrima fata;
Et misere ereptum misero Pallanta parenti.
Non igitur, quamvis aeterna, immensaque ponas
Semina, congruerent tali ratione modoque,
Tam bene junctarum summa haec ut surgere rerum
Posset, et haud liceat quae nostra imitarier arte
Ipsa quidem casus vis caeca educere quiret.

Desipere ergo animo jam tandem, et dira profari
Desine, mortalis, claroque in lumine caecas,
Tanta rapit vis prava animos, optare tenebras.
Nonne ubicumque vides, dextrae monumenta supremae
Apparent passim; et toto vox insonat Orbe,
Mortalem quae crebra monet: venerare potenti
Quae Mens consilio, et ratione haec omnia summa
Tam bene disposuit semel, et dispôsta gubernat?

FINIS.

A S. E. REV.

IL PRESIDENTE DELLA PUBBLICA ISTRUZIONE

Eccellenza Reverendissima

Il Tipografo Domenico Sangiacomo desidera di dare alle stampe l'Opera intitolata ***De Mundi Origine vetus Epicuri Sententia latinis versibus expressa*, *et refutata*** di Emiddio Cappelli, per tal motivo egli supplica V. E. a benignarsi di assegnarli un Revisore.

PRESIDENZA DELLA GIUNTA PER LA PUBBLICA ISTRUZIONE.

Addì 18 Agosto 1825.

Il Regio Revisore Signor D. Giuseppangelo del Forno avrà la compiacenza di rivedere l'Opera soprascritta, e di osservare se vi sia cosa alcuna contro la Religione e i dritti della Sovranità.

*Il Deputato per la revisione de' Libri*
Can. Francesco Rossi.

AD EXCELLENTISSIMUM, ET REVERENDISSIMUM DOMINUM

## FRANCISCUM COLANGELUM

### STABIENSIUM ANTISTITEM

### PUBLICAEQUE INSTITUTIONI PRAEFECTUM.

Admirandum non est, si optimae spei adolescens Emygdius Cappelli Philosophiae studio flagrans argumentum perdifficile *De Mundi Origine* latinis versibus summa elegantia, et eruditione adspersis pertractarit, vetustissimamque Epicureorum sententiam Lucretio mordicus defensam a fundamentis everterit. Ipse namque sacro furore percitus complures alias lucubrationes, quae et publicam mererentur lucem, conscripsit. Idem vero litteras Graecas, et Latinas, sine quarum praesidio, et lumine severiores disciplinas attingere, atque illustrare nemini fas esset, omni tempore sibi proposuit excolendas. Neque vero hoc poëticum dicendi genus a philosophicis rebus enucleandis abhorrere sibi quisquam temere persuadeat: etenim Strabo Philosophus Stoicus, et Geographus adserit, Poëticen non modo ad Philosophiam popularem redigi, sed primam extasse Philosophiam; id quod ostensum est a Parmenide, Xenophane, et Empedocle, quorum opinionem variis in locis perbelle exponit Aristoteles. Et re quidem vera Poësin, et Philosophiam plurimam inter se habere cognationem vel ex eo evinci potest, quod earum cultores aeque in sublimes rapiantur meditationes, et ferme extra fines humanae menti praestitutos vagentur. Quare eruditissimi viri Poëticen plusquam Oratoriam artem ad Philosophiam conducere gravissimis rationum momentis probaverunt. Quid quod